



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

122 Suscipe serum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

Psalm. 71. vt eo ipso, quo me non protegis, non assidue cruis, quasi tradere videaris. Quæ est autem spes mea nisi tu, qui liberas pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor qui saluos facis filios pauperum, & humilias calumniatorem. Tanto autem vehementius pro hac liberatione mihi orandum est, quanto & hostis potentior, & implacabilior est: & non in terrenis, sed in cælestibus, & pro cælestibus pugna est.

122 Suscipe seruum tuum in bonum, nō calumnientur me superbi.

*Seruitus
Dei quam
suavis.*

HEBRAICE, sponde pro seruo tuo, vel in tuam fidem, & protectionem tuam recipe: vel dulcesce, & suavis esto seruo tuo. Hæc enim omnia verbum idem significare potest: quo quid amabilius exprimi potuit? Quanta bonitas, vt pro seruo talis Dominus spondeat? Quam felix, & firma sponso, quæ Dei diuitijs, Dei innititur Maestate? Quid tutius, quid sublimius, quam vt Dominus ipse super omnia excelsus, & omnia continens, omnia implens, omnia portans, in suam seruulum protectionem, fidemque suscipiat? Pretiosa hæc seruitus, quæ virtutum constat expensis. Has enim impensas seruis tuis, quos in tuam suscipis fidem, liberalissimè subministras.

De Amb.

In hoc autem verbo vno, Dulcesce, & suavis

suavis esto seruo tuo in bonum, quam magna multitudo suauitatis, & dulcedinis latet? Quid est dulcesce seruo, nisi seruum non vt seruum, sed plusquam filium tracta? Et, da mihi palatum, cui præ omnibus ipse dulcescas? Es quidem tu, Deus meus, ipsa suauitas, sed non omnibus idem sapis. At, si susceperis seruum tuum in bonum sub tua spõsione, protectione, & dulcedine, timendum mihi non erit, ne calūnientur mihi superbi, quia à facie tua dissipabuntur: &, sicut deficit fumus, deficient: sicut fluit cera à facie ignis, sic defluent, & confundentur.

123 Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ.

DEFECE RVNT expectatione, defecerunt desiderio, defecerunt suspensione in te, defecerunt attentissima defixione, defecerunt præ lachrymis. Siquidem non solum ad te, iuxta verbum B. Iob, stillat oculus meus siue loquens assidue, siue lacrymas vtcunque fundens, sed etiã iuxta Ieremiam, diuisiones aquarum deducens. Nam expectatio languere eos facit, desiderium cruciat, defixio à ceteris omnibus abducit, & abstrahit: suspensio ad ima deflectere non permittit: lacrymæ non solum purgant, & exacuūt, sed etiam totam ani-

Defectio
ex multis
causis.
Iob 16.

Thren. 3.